De aliquot locis, qui ad Aristotelis de tragœdiæ vi ac natura doctrinam pertinent.

Cogitanti mihi nonnulla quæ hoc anno his annalibus scholasticis præmitterentur conscribere aurei illius in mentem venit libelli, quem Aristoteles nobis de arte poetica reliquit. Ex quo, quum ego adolescens eum primum perlegerem, tam magnum fructum ad tragœdiæ vim ac naturam melius perspiciendam me percipere atque me tantopere oblectari memini, ut ex præclarorum, qui in illo libello insunt, locorum copia unum locum, de quo uberius et fusius disseram, seligere nunc quoque juvet.

Atque de forma quidem hujus scripti, quamquam fere nemo est, qui hoc opus Aristotelium esse omni ex parte neget, viri docti alii aliter sentiunt. Sunt enim qui hunc libellum adumbrationem esse existiment partis eorum, quæ Aristoteles postea libris majoribus, quos de arte poetica eundem auctorem composuisse accepimus, copiosius fuerit explicaturus: quam sententiam Godofr. Hermannus in editione sua comprobandam suscepit, qui inde fieri putat, ut in hoc libro, quippe quem Aristoteles sibi, non aliis scripserit, dictio, quum sit manifesto Aristotelia, brevior tamen sit, concisior, durior, asperior quam in reliquis scriptis. Alii censent, hunc libellum esse illius de arte poetica libri, cujus auctor ipse quibusdam in Politicorum et Rhetoricorum locis mentionem fecerit, partem mancam, nonnullis partibus mirifice depravatam, cui quidem ab indocto quodam homine post Aristotelis ætatem plura inserta sint, quæ philosophi ingenio omnino sint indigna et tam ab Aristotelis gravitate quam ab operis suscepti consilio planissime abhorreant. Ab hac parte stetit Francisc. Ritter in editione sua. Contra quos non desunt, qui hunc librum integrum nobis esse ab Aristotele relictum opinentur: nihil esse quod eum aut ex majori quodam opere excerptum esse dicamus aut ab auctore ita in suum usum scriptum, ut tantum quasi lineamenta illius operis, quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

postea Aristoteles consummaverit, in hoc scripto deprehendantur. Quam sententiam defendere conatus est H. Düntzer in libello illo, cui inscriptum est: „Rettung der aristotelischen Poetik."

De hac autem quæstione perobscura, quam ego nunc quidem omittendam mihi puto, quidquid judicandum est: inter omnes fere, qui in hunc librum introspexerunt, viros doctos, quamvis de nonnullis libri partibus alii aliter statuant, illud constat, eum et sententiarum gravitate et judicii subtilitate adeo eminere, ut quam dignissimus sit, quem quicunque artis poeticæ naturam accuratius perscrutari velint iterum iterumque perlegant, in animo volutent, penitus intelligere studeant. Ac patrum nostrorum memoria Aristoteli, a Gallis maxime illa ætate qua litteras bonasque artes apud se eximie floruisse prædicant, tantum auctoritatis tributum fuisse videmus, ut ab illo fonte omnes regulas legesque petierint, ad quas carmina sua ac fabulas effingerent et componerent. Atque etiamsi Galli, id quod Lessingius noster luculentissime monuit, regulas Aristotelias nonnunquam non satis perspexerunt, sæpius a vero aberraverunt: tamen fieri non potest quin fateamur, tragicorum poetarum Gallicorum principes illo tempore, quum Aristotelis vestigia religiose persequi conarentur, præstantiora ingenii monumenta exegisse quam hac nostra ætate, qua illorum poetæ, vana quadam superbia inflati, antiquorum exemplis neglectis atque repudiatis, novum quoddam iter ingressi sunt, quo paullatim in tantos inciderunt errores atque ineptias, ut incertum sit, utrum magis mireris eorum, qui tam horrenda monstra, distorta, omni veri ac pulchri sensu destituta pro formis pulchris atque poeticis venditant, arrogantiam an eorum, qui tam pravis figmentis delectari se dicunt eaque laudibus cumulant, artium bonarum ignorantiam atque stupiditatem.

Sed hac re omissa ad eam rem, quam hac occasione oblata pertractandam suscepi, propius accedam. Libet enim breviter, quantum per angustos hujus commentationis limites licet, exponere, quam vim ac naturam finemque tragœdiæ Aristoteles esse velit; et inprimis de illo loco capitis sexti, quo Aristoteles propriam tragœdiæ vim definit et complectitur, disseram. De hac Aristotelia definitione tragœdiæ Lessingius in dramaturgia Hamburgensi eo quo reliquis præstabat ingenii acumine ac rerum peritia disputavit, ut si quid novi ac magni me iis, quæ ille vir, ingenii acumine æque ac doctrinæ et orationis elegantia insignis, hac de re optime dijudicavit, additurum esse speres, haud sciam an ego acta agere recte videar. Neque enim ignoro difficillimum esse, ne dicam, fieri non posse, ut de iis rebus, quæ ad rem tragicam pertinent, melius aut rectius illo viro videas. Sed quum mihi in schola nostra munus aliquot fabulas Græcorum poetarum tragicorum interpretandi injunctum sit, in hanc difficillimam incurri quæstionem, atque aliquid profecisse mihi videbor, si quos adolescentium nostrorum nactus ero, qui non in illud, in quod bonam partem adolescentium nostra ætate incidere dolemus, vitium incidant, ut in academia eas tantum sectentur artes, unde panem sibi quærant ac circenses, sed qui in academia, bonarum artium sede,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bonis artibus et liberalioribus studiis mentes suas formari excolique studeant. Hos adolescentes bonæ spei atque indolis his meis verbis admonitos velim, ut, quum schola relicta poetarum classicorum carminibus perlegendis perscrutandisque operam navare pergent, iis quæ et ab Aristotele et a Lessingio traduntur præceptis animos attendant iisque judicibus utentes examinent ac secum reputent quæ sint causæ, cur antiquorum poetarum carmina, inprimis Græcorum, pulcherrima ingenii monumenta esse dicamus. In adolescentes, postquam in schola satis magna grammaticæ disciplinæ notitia ac rerum copia instructi immortalia poetarum antiquorum opera legere bene coeperint, ex hac legum Aristoteliarum comparatione quam uberrimos fructus redundaturos esse persuasum habeo: his enim ducibus confisi facilius discent, ut Horatii verbis utar, curvo dignoscere rectum; tædebit eos sordibus illorum versificatorum, qui artibus fucosis et meretriciis imperitæ multitudinis aures pelliciunt, inquinari; haud infirmum sibi parabunt præsidium, quo a levium rerum futiliumque, quibus facile homines per vulgare vitæ commercium irretiuntur, contagione se tueantur.

Jam vero, ut ad rem propositam transeam, Aristoteles tragœdiam ita definit c. VI: *Ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* Tragœdiam igitur dicit esse imitationem actionis cujusdam. Quatenus Aristoteles, ut reliquas artes, sic poesin imitatricem dixerit, hoc loco pluribus persequi longum est: id tantum consideratum velim, apud Aristotelem poesi multo majorem locum tribui quam apud Platonem, qui in libro II de Republica in veritate negat poetas versari, quum in sola imitatione versentur. Duos enim ille statuit qui faciant: Deum et opificem: ab his primas obtineri sedes: tertium locum occupari a poeta, pictore, aliis id genus, qui imitentur. Et hac ratione tertium a veritate, *τρίτον ἀπὸ τῆς ἀληθείας*, vocavit Homerum, cf. Plat. de Rep. X p. 599. Prorsus aliter Aristoteles: qui tantum abest ut poetas tanquam a veritate aberrantes condemnet, ut poesi vim philosophicam tribuat, cf. Poet. c. IX: *Ὁ ἱστορικὸς καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ ἢ ἔμμετρα λέγειν ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν· ἀλλὰ τούτῳ διαφέρει, τῷ τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν, τὸν δὲ οἷα ἂν γένοιτο. διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν· ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει.*

Tragœdia igitur imitatur actionem, non narrando, sed ante oculos exhibendo, eamque *σπουδαίαν*. Quid est *πρᾶξις σπουδαία*? Ad id intelligendum necesse est comparemus alium ex Poet. c. VI locum: *Ἐπεὶ δὲ πράξεώς ἐστι μίμησις, πράττεται δὲ ὑπό τινων πραττόντων, οὓς ἀνάγκη ποιούς τινας εἶναι κατά τε τὸ ἦθος καὶ τὴν διάνοιαν (διὰ γὰρ τούτων καὶ τὰς πράξεις εἶναί φαμεν ποιάς τινας), πέφυκεν αἴτια δύο τῶν πράξεων εἶναι, διάνοια καὶ ἦθος, καὶ κατὰ ταύτας καὶ τυγχάνουσι καὶ ἀποτυγχάνουσι πάντες.* Considerandum igitur est, quales homines in tragœdia agentes esse oporteat. Respondet ad id Aristoteles Poet. c. II, ubi comœdiam pejores, tragœdiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

meliores quam qui nunc sint imitari dicit: ἐν αὐτῇ δὲ τῇ διαφορᾷ καὶ ἡ τραγῳδία πρὸς τὴν κωμῳδίαν διέστηκεν· ἡ μὲν γὰρ χείρους, ἡ δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν. Quæritur, quos Aristoteles vocet βελτίους τῶν νῦν. Hermannus, qui personas tragicas non ab omni parte absolutas, omnes fere vitiis affectas esse videat, audacter contendit in edit. p. 257, Aristotelem, ut in multis aliis rebus, sic in hac re erravisse; scilicet quum in omni tragœdiæ explicatione sublimitatem, quæ potissima res sit, neglexerit. „Personæ tragicæ", inquit, „non indigent moribus probis, sed iis, qui ad sublimitatem*) apti sunt. Nam etiam minus probi mores, immo scelerosi, sæpe haud exiguam sublimitatem habent. Etenim hoc tantum ad sublimitatem requiritur, ut indoles hominis alta, nec fortitudinis et constantiæ expers sit. Hoc genus hominum non ita pravum est, ut ubique scelestos se præbeant, sed multa recte, honeste, generose facere solent. Quippe ostendunt illi, si vellent, posse se esse probos: eamque ob causam multo sunt præstantiores illis, qui nihil turpiter faciunt, quia non possunt nec turpiter quidquam neque honeste facere. Ejusmodi mores quum sint omni sublimitate expertes, a primaria persona in tragœdia arceri debent. Quæ præterea personæ introducuntur, earum mores ita debent comparati esse, ut et varietate ad pulchritudinem aptæ sint, nec natura sua modoque, quo adhibentur, sublimitatem carminis corrumpant. Etenim multa, quæ per se ab sublimitate alienissima sunt, apto tamen usu eam adjuvant atque augent, ut venusta, foeda, deformia." Sed videat Hermannus, ne levius Aristotelem erroris tanti coarguat: dubito an sublimitate ejus res ultra Aristotelem non sit provecta. Verum Hermannus sæpius Aristotelem etiam sibi repugnavisse incautius dicit. Modestius Lessingius, vir in re tragica multum et sæpe versatus, Aristotelis ingenium agnoscit, qui si quid ipse non satis perspiciat tantum abesse fateatur, ut Aristotelem leviter de gravissimis rebus judicasse censeat, ut in se ipso culpam esse suspicetur.**) Ac nimirum levissime Aristoteles egisset, si personas tragicas βελτίους τῶν νῦν esse debere voluisset, quamquam in præstantissimis tragœdiis personæ essent scelerosæ, idque jure. — Alii, ut Daniel. Heinsius, inter recentiores Græfenhan, existimant, Aristotelem dicentem, tragicas personas βελτίους esse debere τῶν νῦν, earumque mores honestos (ἤθη χρηστά, Poet. c. XV), flagitare, ut quantum ratio permittat, plures optime morati in eodem inducantur dramate, cf. Heins. De tragœdiæ constitutione Lugd. Bat. a. 1611 p. 169. Eaque lege Aristotelem tanquam Platoni satisfacere tragicos poetas vituperanti, quod improbos imitentur. Quo facillime, Platone auctore, animum decipi humanum, qui bonorum sæpe ac malorum discrimen non agnoscat. Inde fieri, ut schola vitiorum, non virtu-

*) Item Corneille: Le caractère brillant et élevé d'une habitude vertueuse ou criminelle, selon qu'elle est propre et convenable à la personne qu'on introduit, v. Lessing, Hamb. Dram. B. 2 St. 83.

**) Lessing Hamb. Dramat. B. 1 St. 38: Eines offenbaren Widerspruchs macht sich ein Aristoteles nicht leicht schuldig. Wo ich dergleichen bei so einem Manne zu finden glaube setze ich das größere Mißtrauen lieber in meinen, als in seinen Verstand

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tum sit theatrum. Nec aliter Hermannus putat, primariis tantum personis opus esse vera morum sublimitate. Sed eam Aristotelis sententiam non fuisse, apparet. Nusquam enim dicit, *βελτίους τῶν νῦν* aliquot tantum personas esse debere, reliquas pejores esse posse. — Jam vero quomodo intelligi vult Aristoteles *βελτίους εἶναι* tragicas personas *τῶν νῦν*? Comparemus ceteros locos huc pertinentes. Dicit Poet. c. II: *Ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας, ἀνάγκη δὲ τούτους ἢ σπουδαίους ἢ φαύλους εἶναι (τὰ γὰρ ἤθη σχεδὸν ἀεὶ τούτοις ἀκολουθεῖ μόνοις· κακίᾳ γὰρ καὶ ἀρετῇ τὰ ἤθη διαφέρουσι πάντες), ἤτοι βελτίονας ἢ καθ' ἡμᾶς ἢ χείρονας ἢ καὶ τοιούτους ἀνάγκη μιμεῖσθαι. ὥσπερ οἱ γραφεῖς· Πολύγνωτος μὲν γὰρ κρείττους, Παύσων δὲ χείρους, Διονύσιος δὲ ὁμοίους εἴκαζεν.* Poet. c. V: *Ἡ μὲν οὖν ἐποποιία τῇ τραγῳδίᾳ μέχρι μόνου μέτρου μεγάλου μίμησις εἶναι σπουδαίων ἠκολούθησεν.* Poet. c. III: *Ὁ αὐτὸς ἂν εἴη μιμητὴς Ὁμήρῳ Σοφοκλῆς, μιμοῦνται γὰρ ἄμφω σπουδαίους.* Poet. c. V: *Ἡ δὲ κωμῳδία ἐστὶ μίμησις φαυλοτέρων μέν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ ἐστι τὸ γελοῖον μόριον.* Ex his locis fortasse conjeceris, Aristotelem velle tragicas personas eminere omni genere virtutum, omnia vitia ab iis seclusa esse. Rem non ita se habere docet Poet. c. XIII: *Ἔστι δὲ τοιοῦτος* (qui in tragœdiam recte admittitur) *ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινά, τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ, οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ οἱ ἐκ τῶν τοιούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες.* Est igitur opus, ut tragicæ personæ neque virtute et justitia emineant, neque propter pravitatem ac nequitiam in infelicitatem incidant. Non igitur sunt tragicæ personæ communi hominum generi incongruentes, tantum ad virtutum speciem contra naturam humanam effictæ, sed in boni et mali conjunctione hominum in universum similes, quippe quorum nemo vitiis prorsus careat, nemo meræ virtutis sit exemplar. Circa tales tantum personas versari potest metus, alter ex iis affectibus, quos poeta tragicus in iis, qui spectant, commovere studet. Nam *φόβος περὶ τὸν ὅμοιόν ἐστιν*, Poet. c. XIII. Quid autem? Aristoteles quum tragicas personas nostri similes esse velit, nonne sibi repugnat dicens, tragœdiam in iis versari, qui sint *βελτίους τῶν νῦν*? Quod quomodo intelligi velit, optime declarat Poet. c. XV: *Ἐπεὶ δὲ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν ἰδίαν μορφήν, ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν· οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥᾳθύμους καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα ἢ σκληρότητος δεῖ, οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος.* Omnes igitur affectus Aristoteles in tragœdia repræsentari patitur, ita tamen, ut in iis non pravitas quædam, sed melior natura hominis manifestetur. Nam in tragœdia inesse oportet *σπουδαίους*, Poet. c. V. *Σπουδαῖος* autem is dicitur, qui munere suo bene fungitur, hoc est, qui cum honesti rectique scientia vel cum consilio ac constantia id persequitur, quod hominem agendo persequi oportet, cf. Magn. Moral. I, 1; Ethic. Nico-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mach. I, 6.*) Qui ita agit, ei adscribitur ὄρεξις διανοητική, Ethic. Nicomach. VI, 2, quæ a cupiditate, quæ eadem ὄρεξις vocatur, eo differt, quod cupiditas caeco quodam impetu ad voluptatem corporis fertur; contra ὄρεξις διανοητικὴ haud sine ratione intelligentiaque summum bonum sive beatitudinem appetit. Jam vero tales homines σπουδαῖοι aut inscii prava facinora committere possunt, quibus infelicitatem sibi contrahant, aut quum id, quod rectum ipsis videtur, cum consilio assequantur, peccant. Utrique sunt digni, quorum misera fortuna in tragœdia effingatur, non illi, qui cum amore ac lubenter prave agunt. Ii enim sunt μοχθηροί; quod autem infortunium exortum est διὰ μοχθηρίαν, non cadit in tragœdiam, Poet. XIII. Ex his apparet, πρᾶξιν σπουδαίαν esse actionem ab iis, qui sint σπουδαῖοι, susceptam.

Eandem esse debere τελείαν, addit Aristoteles. Quid sit πρᾶξις τελεία, docet Poet. VII, ubi legimus: Ἡ τραγῳδία τελείας καὶ ὅλης πράξεως μίμησίς ἐστιν· ὅλον δ'ἐστὶ τὸ ἔχον ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τελευτήν. ἀρχὴ δ'ἐστὶν ὃ αὐτὸ μὲν μὴ ἐξ ἀνάγκης μετ' ἄλλο ἐστί, μετ' ἐκεῖνο δ'ἕτερον πέφυκεν εἶναι ἢ γίνεσθαι· τελευτὴ δὲ τοὐναντίον ὃ αὐτὸ μετ' ἄλλο πέφυκεν εἶναι, ἢ ἐξ ἀνάγκης ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, μετὰ δὲ τοῦτο ἄλλο οὐδέν· μέσον δὲ ὃ καὶ αὐτὸ μετ' ἄλλο καὶ μετ' ἐκεῖνο ἕτερον. Actio igitur tragica ita comparata esse debet, ut non desideremus, quid antea, quid postea factum sit.

Tum dicit Aristoteles, τὴν τραγῳδίαν εἶναι πράξεως μίμησιν, ἐχούσης τι μέγεθος. Habere debet actio quandam magnitudinem, ut neque nimis exigua sit (οὔτε πάμμικρον ἄν τι γένοιτο καλὸν ζῷον, Poet. c. VII), neque omnino permagna (οὔτε παμμέγεθες). Accuratius definiri non potest, quam longa debeat esse fabula: nam ex parte id ab externis causis pendet (τοῦ δὲ μήκους ὅρος πρὸς μὲν τοὺς ἀγῶνας καὶ τὴν αἴσθησίν ἐστιν). Sed hoc dici potest, actionem ita constitutam esse debere, ut facile possit memoria comprehendi (εὐμνημόνευτον). Deinde actionem eo usque recte crescere ac produci posse putat, donec pro earum quæ agantur rerum ordine secundum verisimile vel necessarium inferatur fortunæ prosperæ in adversam, vel adversæ in prosperam mutatio, Poet. c. VII: Ἐν ὅσῳ μεγέθει κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταβάλλειν, ἱκανὸς ὅρος ἐστὶ τοῦ μεγέθους.

Tum tragœdia dicitur esse δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. Quid sit φόβος et ἔλεος, uberius explicat Aristoteles in Rhetoric. II c. 5 et c. 8. Illic de *metu* hæc afferuntur: Ἔστω δὴ φόβος λύπη τις ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ φθαρτικοῦ ἢ λυπηροῦ· οὐ γὰρ πάντα τὰ κακὰ φοβοῦνται,

---

*) Magn. Mor. I, 1: Τὸ δὲ σπουδαῖον εἶναί ἐστι τὸ τὰς ἀρετὰς ἔχειν. Ethic. Nicomach. I, 6: Ἀνθρώπου δὲ τίθεμεν ἔργον ζωήν τινα, ταύτην δὲ ψυχῆς ἐνέργειαν καὶ πράξεις μετὰ λόγου, σπουδαίου δ'ἀνδρὸς εὖ ταῦτα καὶ καλῶς, ἕκαστον δ'εὖ κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἀποτελεῖται· εἰ δ'οὕτω, τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθὸν ψυχῆς ἐνέργεια γίνεται κατ' ἀρετήν, εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταί, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

οἷον εἰ ἔσται ἄδικος ἢ βραδύς, ἀλλ' ὅσα λύπας μεγάλας ἢ φθορὰς δύναται, καὶ ταῦτ' ἐὰν μὴ πόρρω ἀλλὰ σύνεγγυς φαίνηται ὥστε μέλλειν. Altero loco *miseratio* sic definitur: *Ἔστω δὴ ἔλεος λύπη τις ἐπὶ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ καὶ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειεν ἂν παθεῖν ἢ τῶν αὐτοῦ τινά, καὶ τοῦτο, ὅταν πλησίον φαίνηται.* Optime hac de re disseruit Lessingius in dramaturgia Hamburgensi vol. II c. 74 sqq. In nostro libro Aristoteles dicit c. XIII: *Δῆλον ὅτι οὔτε τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν (οὐ γὰρ φοβερὸν οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν) οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν (ἀτραγῳδότατον γὰρ τοῦτ' ἐστὶ πάντων · οὐδὲν γὰρ ἔχει ὧν δεῖ · οὔτε γὰρ φιλάνθρωπον οὔτε ἐλεεινὸν οὔτε φοβερόν ἐστιν), οὐδ' αὖ τὸν σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταπίπτειν. τὸ μὲν γὰρ φιλάνθρωπον ἔχοι ἂν ἡ τοιαύτη σύστασις, ἀλλ' οὔτε ἔλεον οὔτε φόβον · ὁ μὲν γὰρ περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστι δυστυχοῦντα, ὁ δὲ περὶ τὸν ὅμοιον, ἔλεος μὲν περὶ τὸν ἀνάξιον, φόβος δὲ περὶ τὸν ὅμοιον.* Non igitur vult Aristoteles, aut homines quavis virtute insignes sine sua ipsorum culpa in infortunium incidere, aut hominum improborum secundam adversamve fortunam repræsentari in tragœdia: utrosque enim negat tragica poesi esse dignos. Inde apparet, quam male qui nequissimos homines tanquam maximæ pravitatis imagines in tragœdia effingant, ad Aristotelis auctoritatem confugiant, quasi ejusmodi monstris *φόβος*, qualem Aristoteles flagitat, in spectantium animis excitetur. Terror sane. At Aristoteles *φόβον* dicit attinere ad eum, qui nostri sit similis. Ubi hominis cujusdam adspicimus miseram sortem, qui a nostris moribus parum differt, neque ab omni parte est absolutus, neque omnino nequam: afficimur quodam metu, quasi idem nobis atque illi accidere possit. Hunc metum Aristoteles *φόβον* appellat, qui est cum miseratione conjunctus, ubi videmus hominem patientem quod non meretur. Non autem meretur homo infortunium, si, quamquam propter peccatum aliquod (*ἁμαρτίαν*) ex naturæ humanæ infirmitate in calamitatem incidit, tamen nuncupari potest *σπουδαῖος*, si pro parte virili id quod bonum censet appetit, aut si quid adversi casu quodam patitur. De ratione quæ intercedat inter metum et miserationem cf. Aristotel. Rhetoric. II. c. 8: *Ὅσα ἐφ' αὑτῶν φοβοῦνται, ταῦτα ἐπ' ἄλλων γιγνόμενα ἐλεοῦσιν*; et c. 5: *Ὡς δ' ἁπλῶς εἰπεῖν φοβερά ἐστιν ὅσα ἐφ' ἑτέρων γιγνόμενα ἢ μέλλοντα ἐλεεινά ἐστιν.* Metus et miseratio tangit nos adversam hominis qui nostri est similis fortunam cernentes: illam animi affectionem, qua nos adversam scelesti cujusdam hominis fortunam cernentes commovemur, Aristoteles *φιλάνθρωπον* appellat. Quum scelerosum hominem scelerum pœnas vel gravissimas subeuntem videmus, humanitatis quidem sensu quodam tangimur: sed hanc affectionem Aristoteles a tragœdia alienam esse judicat. Nam etiamsi scelerosi hominis suppliciorum, quamquam eum iis dignum esse sentimus, nos quodam modo miseret: tamen quum, ne idem quod homini omnibus vitiis ac sceleribus obruto nobis accidere possit, vix vereamur, metus non excitatur. Lubet ex iis quæ de hoc loco, in quo tanquam cardo totius artis tra-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gicæ versatur, Lessingius subtilissime et splendidissime exposuit, nonnulla exscribere. Aristoteles, in dramaturg. Hamburgens. c. 76. legimus, betrachtet das Mitleid nicht nach seinen primitiven Regungen, er betrachtet es bloß als Affect. Ohne jene zu verkennen, verweigert er nur dem Funken den Namen der Flamme. Mitleidige Regungen, ohne Furcht für uns selbst, nennt er Philanthropie: und nur den stärkern Regungen dieser Art, welche mit Furcht für uns selbst verknüpft sind, giebt er den Namen des Mitleids. Also behauptet er zwar, daß das Unglück eines Bösewichts weder unser Mitleid noch unsere Furcht errege: aber er spricht ihm darum nicht alle Rührung ab. Auch der Bösewicht ist noch ein Mensch, ist noch ein Wesen, das bei allen seinen moralischen Unvollkommenheiten Vollkommenheiten genug behält, um sein Verderben, seine Zernichtung lieber nicht zu wollen, um bei dieser etwas mitleidähnliches, die Elemente des Mitleids gleichsam, zu empfinden. Aber, wie schon gesagt, diese mitleidähnliche Empfindung nennt er nicht Mitleid, sondern Philanthropie. „Man muß, sagt er, keinen „Bösewicht aus unglücklichen in glückliche Umstände gelangen lassen; denn das ist das untra„gischste, was nur sein kann; es hat nichts von allem, was es haben sollte; es erweckt weder „Philanthropie, noch Mitleid, noch Furcht. Auch muß es kein völliger Bösewicht sein, der „aus glücklichen Umständen in unglückliche verfällt; denn eine dergleichen Begebenheit kann zwar „Philanthropie, aber weder Mitleid noch Furcht erwecken.“ Ich kenne nichts kahleres und abgeschmackteres, als die gewöhnlichen Uebersetzungen dieses Wortes Philanthropie. Sie geben nämlich das Adjectivum davon im Lateinischen durch hominibus gratum; im Französischen durch ce qui peut faire quelque plaisir; und im Deutschen durch „was Vergnügen machen kann.“ Der einzige Goulston, so viel ich finde, scheint den Sinn des Philosophen nicht verfehlt zu haben, indem er das φιλάνθρωπον durch quod humanitatis sensu tangat übersetzt. Denn allerdings ist unter dieser Philanthropie, auf welche das Unglück auch eines Bösewichts Anspruch macht, nicht die Freude über seine verdiente Bestrafung, sondern das sympathetische Gefühl der Menschlichkeit zu verstehen, welches, trotz der Vorstellung, daß sein Leiden nichts als Verdienst sei, dennoch in dem Augenblicke des Leidens in uns sich für ihn regt. — Diese Liebe, die wir gegen unsere Nebenmenschen unter keinerlei Umständen ganz verlieren können, die unter der Asche, mit welcher sie andere stärkere Empfindungen überdecken, unverlöschlich fortglimmet, und gleichsam nur einen günstigen Windstoß von Unglück und Schmerz und Verderben erwartet, um in die Flamme des Mitleids auszubrechen; eben diese Liebe ist es, welche Aristoteles unter dem Namen Philanthropie verstehet. Wir haben Recht, wenn wir sie mit unter dem Namen des Mitleids begreifen. Aber Aristoteles hatte auch nicht Unrecht, wenn er ihr einen eigenen Namen gab, um sie, wie gesagt, von dem höchsten Grade der mitleidigen Empfindungen, in welchem sie, durch die Dazukunft einer wahrscheinlichen Furcht für uns selbst, Affect werden, zu unterscheiden.

Jam vero tragœdia de iisdem atque epopoeia rebus agit, est μίμησις σπουδαίων: in eo inter se discrepant, quod hæc annunciat res (est ἀπαγγελία), illa tanquam præsentes introducit. Eandemque ob causam tragœdia est si quod aliud poeseos genus quam aptissima ad metum commovendum et miserationem: nam quæ ante oculos nobis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sunt posita, ea plus nobis injiciunt metus et miserationis quam quæ sunt remotiora, cf. Aristot. Rhetoric. II c. 8: Ἐπεὶ δ' ἐγγὺς φαινόμενα τὰ πάθη ἐλεεινά ἐστι, τὰ δὲ μυριοστὸν ἔτος γενόμενα ἢ ἐσόμενα οὔτ' ἐλπίζοντες οὔτε μεμνημένοι ἢ ὅλως οὐκ ἐλεοῦσιν ἢ οὐχ ὁμοίως, ἀνάγκη τοὺς συναπεργαζομένους σχήμασι καὶ φωναῖς καὶ ἐσθῆτι καὶ ὅλως τῇ ὑποκρίσει ἐλεεινοτέρους εἶναι· ἐγγὺς γὰρ ποιοῦσι φαίνεσθαι τὸ κακὸν πρὸ ὀμμάτων ποιοῦντες, ἢ ὡς μέλλον ἢ ὡς γεγονός.

Denique finem tragœdiæ ait Aristoteles esse τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. Primum quæritur, quid sit τῶν τοιούτων παθημάτων. Hoc loco vera a falsis dijudicare non est facile. Satis acute Francisc. Ritter rem ita explicat, ut per τοιούτων παθημάτων miserationis quidem et metus affectiones significari dicat, sed eas affectiones, quæ sua vi hominis mentem turbent et animum commotum quam maxime reddant. Itaque philosophum τοιούτων, non τούτων scribere, quum nolit hoc pronuntiari, per tragœdiam purgari quamcunque miserationem metumque, sed illam miserationem metumque, quorum vi animus et mens perturbentur, h. e. miserationis metusque affectiones ita vehementes, ut in numero παθημάτων reponendæ sint. Existimat enim, πάθημα esse perturbationem, Leidenschaft, πάθος quamcunque animi affectionem denotare. Sed quamquam multa esse, quibus hæc interpretatio defendi possit, haud diffiteor: tamen acutius quam verius mihi vir doctus interpretatus esse videtur. Hanc quoque rem Lessingium melius perspexisse puto, qui Aristotelem τοιούτων eo consilio scripsisse dicit, ut metum misericordiamque et omnes similes affectiones, v. c. τὸ φιλάνθρωπον, purgari per tragœdiam significaret. Verba viri peracuti hæc sunt in dramat. Hamb. c. 77: Das τοιούτων bezieht sich lediglich auf das vorhergehende Mitleid und Furcht; die Tragödie soll unser Mitleid und unsere Furcht erregen, bloß um diese und dergleichen Leidenschaften, nicht aber alle Leidenschaften ohne Unterschied zu reinigen. Er sagt aber τοιούτων und nicht τούτων; er sagt, dieser und dergleichen, und nicht bloß, dieser: um anzuzeigen, daß er unter dem Mitleid nicht bloß das eigentlich sogenannte Mitleid, sondern überhaupt alle philanthropische Empfindungen, so wie unter der Furcht nicht bloß die Unlust über ein uns bevorstehendes Uebel, sondern auch jede damit verwandte Unlust, auch die Unlust über ein gegenwärtiges, auch die Unlust über ein vergangenes Uebel, Betrübniß und Gram, verstehe.*)

---

*) Annecto, quæ Lessingius hoc loco addit. Nam etiamsi iis quæ dicta sunt rem obscuram satis illustratam esse puto, ea quæ sequuntur quum ab ea quam tractamus re non prorsus aliena sunt, tum tam præclare sunt exposita, ut in hoc loco quot verba, tot pondera inesse dicas: In diesem ganzen Umfange soll das Mitleid und die Furcht, welche die Tragödie erweckt, unser Mitleid und unsere Furcht reinigen; aber auch nur diese reinigen, und keine andere Leidenschaften. Zwar können sich in der Tragödie auch zur Reinigung der anderen Leidenschaften nützliche Lehren und Beispiele finden; doch sind diese nicht ihre Absicht; diese hat sie mit der Epopöe und Komödie gemein, insofern sie ein Gedicht, die Nachahmung einer Handlung überhaupt ist, nicht aber insofern sie Tragödie, die Nachahmung einer mitleidswürdigen Handlung insbesondere ist. Bessern sollen uns alle Gattungen der Poesie; es ist kläglich, wenn man dieses erst beweisen muß; noch kläglicher, wenn es Dichter giebt, die selbst daran zweifeln. Aber alle Gattungen können

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Restat ut qua ratione Aristoteles miserationem metumque purgari dicat, demonstrem. Nam κάθαρσιν παθημάτων non esse καθαίρεσιν vel ἀναίρεσιν, affectus non tolli, sed purgari, per se patet. Sed quid est affectuum purgatio? Ad hunc locum, ut aliorum interpretationes omittam, dicit Hermannus: „Animo commoti e spectaculo redimus, sed ea est hæc commotio, quæ ab omni humilitate, ab omni inhonesta cupiditate aliena sit. Cujus rei causam non recte indicavit Aristoteles, qui tragœdiam dicat δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσαν τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. Non enim per miserationem et terrorem istiusmodi purgatio animi perficitur, sed per sublimitatem, quam quum omnium maxime in tragœdiæ definitione commemorare deberet, omnium minime tetigit. Hac enim fit, ut et miseratione et metu majores nos esse sentiamus nec percelli nos his animi motibus patiamur. Id vero est animi commotiones purgatas habere, tangi iis, nec vinci.“ Putat igitur Hermannus, tragœdia id effici, ut et miseratione et metu majores nos esse sentiamus. Ut Hermannus id recte statuat, id quod equidem addubitaverim: Aristotelis certe hæc non est sententia, quippe qui τὸ ἐλεεῖν esse probi viri dicat, non, quemadmodum Stoici, flagitet, ut tali affectu simus majores, cf. Rhetoric. II c. 9: Ἀντίκειται δὲ τῷ ἐλεεῖν μάλιστα μὲν ὃ καλοῦσι νεμεσᾶν · τῷ γὰρ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις κακοπραγίαις ἀντικείμενόν ἐστι τρόπον τινὰ καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἤθους τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις. καὶ ἄμφω τὰ πάθη ἤθους χρηστοῦ. Quando autem tales motus vere appellari possint virtutes, docet Aristoteles in Ethicis, cf. Ethic. Nicomach. II, 5: Ἡ ἠθικὴ ἀρετή ἐστι περὶ πάθη καὶ πράξεις, ἐν δὲ τούτοις ἐστὶν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις καὶ τὸ μέσον . οἷον καὶ φοβηθῆναι καὶ θαρρῆσαι καὶ ἐπιθυμῆσαι καὶ ὀργισθῆναι καὶ ἐλεῆσαι καὶ ὅλως ἡσθῆναι καὶ λυπηθῆναι ἔστι καὶ μᾶλλον καὶ ἧττον, καὶ ἀμφότερα οὐκ εὖ · τὸ δ' ὅτε δεῖ καὶ ἐφ' οἷς καὶ πρὸς οὓς καὶ οὗ ἕνεκα καὶ ὡς δεῖ, μέσον τε καὶ ἄριστον, ὅπερ ἐστὶ τῆς ἀρετῆς. Est igitur virtus quælibet intra duo extrema. Quo autem tempore et propter quam causam et quibus et cujus rei gratia et quomodo oportet his affectibus commoveri, id sane et medium est et optimum; quod in virtute situm est. Tragœdia igitur, quæ mihi Aristotelis sententia esse videtur, docemur bene metuere et commiserari, ita ut noster metus et commiseratio evadat virtus: virtus autem non attinet solum ad quantitatem, ut ita dicam, sed etiam ad qualitatem: attinet ad tempus, causam, quasdam personas vel res, modum: ad tales res respici debet ab eo qui velit judicare, utrum quis bene an male metuat aut commiseretur. Atque ut hoc recto metus et commiserationis genere imbuamur, id agit secundum Aristotelem tragœdia. Hæc est ejus κάθαρσις τοῦ ἐλέου καὶ φόβου. Eadem fere ratione rem explicuit Lessingius in dramat. Hamburg. c. 78. Neque aliter censet Raumerus in commentationibus acade-

---

nicht alles bessern; wenigstens nicht jedes so vollkommen, wie das andere; was aber jede am vollkommensten bessern kann, worin es ihr keine andere Gattung gleich zu thun vermag, das allein ist ihre eigentliche Bestimmung.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

miæ regiæ Berolinensis a. 1828 p. 134: Die Reinigung ist keineswegs, wie einige gedeutet haben, eine Vernichtung der Leidenschaften, sondern eine Hinführung auf das Mittlere, mit Ausschließung des zu viel und zu wenig. Ceterum etiam Daniel. Heinsius jam recte vidisse videtur in tragœdiæ constitutione p. 22: „Ceterum habitum quendam, quatenus et quando gaudendum, dolendum, commiserandum reliquique animi affectus e præscripto rationis admittendi sint, comparare virum sapientem posse. Talem e tragœdiæ repræsentatione nasci.“ Quamquam cavendum est, ne tragœdiæ proprium esse metum et commiserationem moderari obliviscamur. Efficitur quidem tragœdia, ut etiam reliqui animi affectus emendentur: sed hoc est munus omnibus, qui vere poetæ sunt atque artifices, commune: prudentissime igitur Aristoteles facit, ut, in quibusnam rebus potissimum versetur tragœdia, eligat, cf. Lessing. dramat. Hamb. c. 77.

Postquam de tragœdiæ definitione dixi, de ejus constitutione pauca adjicere liceat, et quidem de fabula. Fabula, *ὁ μῦθος*, est *ἡ σύνθεσις τῶν πραγμάτων*, compositio factorum, Poet. c. VI. Quum tragœdia imitatio sit non hominum, sed actionis et vitæ, et felicitatis et infelicitatis: *τὸν μῦθον*, fabulam, ejus constitutionem ait esse primariam tragœdiæ partem: *μέγιστον δὲ τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις. τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας · τὸ δὲ τέλος μέγιστον τῶν ἁπάντων.* Itaque tragœdiæ deesse posse mores, non item actionem: eam tragœdiam esse præstantiorem quæ habeat fabulam bene constitutam, reliquas partes minus bene elaboratas, quam vice versa.

Postremo de moribus, quibus secundum in tragœdia locum Aristoteles vindicat, breviter exponere lubet (*ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας, δεύτερον δὲ τὰ ἤθη*). *Τὰ ἤθη* definit Aristoteles hoc modo: *Ἔστι δὲ ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν ὁποία τις · διόπερ οὐκ ἔχουσιν ἦθος τῶν λόγων ἐν οἷς μηδ' ὅλως ἔστιν ὅ τι προαιρεῖται ἢ φεύγει ὁ λέγων*, Poet. c. VI, cf. Rhetor. II, 21: *Ἦθος δ' ἔχουσιν οἱ λόγοι, ἐν ὅσοις δήλη ἡ προαίρεσις.* Secundum Aristotelem poetæ tragici non actiones moribus personarum, sed actionibus mores adaptant, Poet. c. VI: *Οὔκουν ὅπως τὰ ἤθη μιμήσωνται πράττουσιν, ἀλλὰ τὰ ἤθη συμπεριλαμβάνουσι διὰ τὰς πράξεις.* Quomodo mores constituti esse debeant, docet Aristoteles Poet. c. XV. Primum sint honesti, *ἤθη χρηστά.* Jam supra dixi, quomodo hæc omnium in tragœdia personarum honestas ex mea quidem sententia intelligenda sit. Deinde sint mores apti, *ἤθη ἁρμόττοντα.* Ut homines pro sexu, ætate, conditione inter se differant, ita suos cuique mores tribuendos esse. Tertio similes sint mores, *ὅμοια ἤθη.* Dissimiles mores possunt esse in toto, ut si quis mores Ajacis tribuat Ulyssi: in parte, ut si quis, postquam Ajacem exhibere coepit, quædam ab ingenio ejus et indole aliena ei affingat. Alterum Aristoteles dissimile (*ἀνόμοιον*), alterum inæquale (*ἀνώμαλον*) dixit. Ut *τὰ ἤθη* sint *ὅμοια*, postulat Horatius his verbis in art. poetic. vv. 120—124:

Honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Jura neget sibi nata, nihil non adroget armis.
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Jo vaga, tristis Orestes.

Ut ἤθη sint ὁμαλά, sequenti loco:

Si quid inexpertum scenæ committis et audes
Personam formare novam, servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

Quamvis multa præter hæc, quæ commemoravi, reliqua sint, quæ quum plurimum lucis tragœdiæ vim ac naturam investigare conantibus afferant, exponere operæ pretium sit: tamen hoc loco commentationi, ne præscriptos transcurrat limites, finem imponendum esse existimo. Pauca tantum, sententia quadam, quam a Bernhardio, viro magnæ eruditionis, pronuntiatam esse video, ductus adjicio. Bernhardius enim, si recte eum intelligam, prorsus negat, antiquorum pœtarum Græcorum carmina ita constituta esse, ut singulæ partes ad unum eundemque tendant finem: id rei tractandæ genus Euripidem primum et Menandrum aliquatenus exorsos esse, quum divinum, ut ita dicam, ingenium jam a poetis Græcis recederet: non igitur posse præstantissima Græcorum opera intra angustos præceptorum Aristoteliorum limites cohiberi, cf. Bernhard. Grundriß der griechischen Literatur p. 108. 109: Was diese Zöglinge der Natur im vollen Eindruck ihrer Lebensweisheit und ohne die Mühseligkeit eines schulgerechten Lernens producirten, hat noch keinesweges das Aussehen eines Planes, d. h. der verstandesmäßigen Anlage, welche der Darstellung vorauf liegt und Beiwerke wie Hauptstücke auf einen weit umfassenden Mittelpunkt zurückführt. — Ein so berechneter Plan kam in der Poesie seit den Perserkriegen auf; doch in sehr geringer Ausdehnung, insofern erst Euripides und Menander das Drama, nicht aber zum Gewinn des dichterischen Geistes, nach dem Mechanismus einer durchgreifenden Oekonomie und Katastrophe bearbeiteten; die meisten und ausgezeichneten Dichter aber haben früh und spät sich bemüht, die große Idee, worin ihre Werke leben, immer klar und fruchtbar zu erhalten, und den Raum, den jene durchmißt, in unbeschränkter Entwicklung genetisch auszubreiten. So besitzt die Ilias einen unerschöpflichen Ueberblick jonischer Vorzeit und Vergangenheit, ohne doch Planmäßigkeit zu haben. — Man sieht es der ehemals gefeierten Systematik des Aristoteles an, daß die bewährten Productionen zu vollendet waren, um sich in nüchterne Fachwerke zwängen zu lassen. Quæ si vera essent, sane inutile foret ad Aristotelis de arte poetica librum animum advertere atque in præceptis ejus perscrutandis multum operæ studiique collocare: qui quum persuasum habeat, jam Homerum omnia consulto fecisse, Sophoclem idcirco laudat, quod fabulas suas, maxime Oedipum regem, summa cum prudentia constituerit, Euripidem vituperat, quod nonnunquam id minus bene fecerit.*) Atque id recte: neque enim potest facere artifex insignis, pictor, po-

*) Cf. Poet. c. XXIV: Ὅμηρος δὲ ἄλλα τε πολλὰ ἄξιος ἐπαινεῖσθαι, καὶ δὴ καὶ ὅτι μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἀγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν. Poet. c. VIII: Ὅμηρος, ὥσπερ καὶ τὰ

eta, orator, musicus, quin rem suam quam diligentissime secum verset volutetque ac cum ratione et consilio repræsentet. Ut quisque est perfectissimus artifex, ita prudentissime agit: jam vero qui prudenter et consulto agit, ita instituit rem, ut singulæ partes ad totum tendant. Non igitur existimaverim ingenium tale esse, ut poeta, quidquid bene agat, temere agat, sed ut, etiamsi ad argumenta bene excogitanda, connectenda, elaboranda opus sit divino quodam dono, quod a natura datur, tamen secundum regulas quasdam et leges rem instituat et disponat. Quas leges sequitur poeta, etiamsi non diserte ipse dixerit: interpretis munus est eas leges investigare atque verbis exprimere. Optime Horatius hac de re judicavit Art. poet. vv. 408 — 415:

Natura fieret laudabile carmen an arte
Quæsitum est; ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res et conjurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit venere et vino: qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.

Nec video, Quintilianum Institut. orator. V, 10, 120, quem locum Bernhardius laudat ad stabiliendam sententiam suam, aliter sensisse. Dicit enim: „Neque enim artibus editis factum est, ut argumenta inveniremus: sed dicta sunt omnia, antequam præciperentur.“ Hoc enim loco etiam Quintilianus affirmare videtur, artifices in elaborandis operibus legum, quamquam non ipsi aliis dederint, earum sibi conscios fuisse, quæ ab hominibus illorum opera contemplantibus postea animadversæ sint, cf. Quintil. Inst. orat. VII, 10, 10: „Quare plurima petamus a nobis, et cum causis deliberemus, cogitemusque, homines ante invenisse artem quam docuisse.“ Idem oratorem consummatum non minus arti atque doctrinæ quam naturæ debere, sæpius contendit, cf. Instit. orat. II, 17. 19. Nec minus falsa videtur sententia, poetas Græcos sine studio atque arte opera omnium temporum imitatione atque admiratione digna, duce sola indole et natura, protulisse. Ut Gœthius Iphigeniam fabulam complures annos in animo versavit, ita Sophocles, Euripides, etiam Homerus nihil sine magno studio confecerunt. Quibus concessis, ut jam supra dixi, operæ pretium esse videtur, quas leges Aristoteles in tragœdiis optimis inesse censuerit, inquirere, ejusdemque de præstantissimo tragœdiæ genere judicium investigare. Neque enim potest dubitari, quin Aristoteles, in quo viro subtile judicium et magnum ingenii acumen cum ingentis

---

ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν · Ὀδύσσειαν γὰρ ποιῶν οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη, ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν, οἵαν λέγομεν, τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν Ἰλιάδα. Poet. c. XIII: Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rerum copiæ cognitione conjunctum fuit, magnum numerum fabularum tragicarum quam accuratissime perlegerit et inter se comparaverit, deinde librum de optimo tragœdiarum genere conscribendum susceperit. Atque in hac re prorsus assentiendum esse judico Buhlio in Aristot. art. poetic. Berlin. 1798. p. 22, cujus verba quum, quid de Aristotelis arte poetica judicandum sit, optime indicent, in commentationis hujus fine colloco: „Es läßt sich durchaus nicht annehmen, daß Aristoteles vorher Regeln des poetischen Geschmacks aufstellte, und erst hernach an diese, wie an den kritischen Maßstab, die vorhandenen Werke poetischer Kunst gehalten habe. Vielmehr tragen alle vom Aristoteles ertheilten Regeln das Merkmal der Abstraction aus vorhergegangenen Studien dieser Werke selbst.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf